

1521 dum Verulensem Episcopum evocare , Mediolanensemque agrum invadere totis viribus statuunt . Et quoniam exercitus Gallici , & Veneti propinquitate , vel acie certandum , vel commeatu laborandum norant , trans Padum copias ducere decernunt , ponteque ad Brixellum oppidum , in Padi ripa positum , extructo , kal. octobris amne trajecto , castra ad Casale majus posuere ; quo tempore Julius Cardinalis Medicus Legatus a Leone supervenit . Lautrechius vero ponte sex millibus supra Brixellum passuum Pado instrato , copias in Cremonensem agrum perduxit , cumque hostes ad Ollium amnem quatuor castrametationibus pervenisse , atque ad Rebeccam oppidum e regione Pontis vici substituisse , per exploratores nuntiaretur ; statim impedimentis Cremonae relictis , cum universis Gallorum , & Venetorum copiis ad Divi Martini quinque a Rebecca millibus celerrime Lautrechius proficiscitur , eo consilio , si hostes iter maturarent , ut obvius copiam pugnandi faceret . Qua re vehementer commotus Columna non ultra progredi , sed Helvetios adventantes opperiri statuit . Verum tertio die Lautrechius , castris ad Bordellanum positis , tormentorum partem trans Ollium ad Pontem vicum misit . Pilæ ferreae in hostium castra ingenti strepitu jaciebantur , quo periculo perterriti , quarta noctis vigilia summo silentio motis castris , exercitum ad Gabionetam oppidum ductant ; inde manum conserere cum nostris detrectantes ad Ostianum castramentantur .

Ferrarienses ad Finalem profili-gati.

Dum nil agendo tempus utrinque teritur , Pistoriensis Episcopus , ac Vitellius Helvetiorum , atque Italorum manu Ferrarienses ad Finale oppidum inopinantes aggressi fundunt , ac cœidunt , Duce ipso quam celerrime se Ferrariam recipiente , qui eum valde suis rebus timeret , suppetias a Senatu enixe flagitabat ; ne amicum , ac propinquum Republicæ Principem defereret , ne hostes sancti Georgii peninsulam ingredi summo civium quoque Venetorum detimento pateretur ; minora saltem navigia ad se , resque suas tutandas mitteret . Senatum , quin Ducis voluntati assentiretur , Pontificis auctoritas in primis permovebat ; neque enim cum Leone apertas inimicitias exercere e Republica esse censebat , cum ea , quæ ex foedere ad Mediolanum defendendum Galliarum Regi præstaret , nec

Cx.